





Mosheim / Joh: Laur: / Diss. de Ecclesia
Christi, Helmst: 1740

Vrsaffij / Christoph: Matth: / Diss.
de Coelo Beatorum, Tubinge
1722

Reudenij / Ambr: / Theses de
Symbolo Apostolico, Jene
1589

Diss. de Deo ac tribus
personis, Jene 1589.

20

DISPUTATIO THEOLOGICA
AD
APOLOGIAM
AVGVSTANAE
CONFESSIONIS

AB
ART. VII. VSQVE AD XXI.
P R Æ S I D E
JONA CONR. SCHRAMMIO
S. TH. D. ET PROF. ORD.

ANNO MDCCXXXVII. D. JVN.
PVBlice DEFENSA

A
ERNESTO AVGVSTO STALLMANNO
MAHNERTA - HILDESIENSI.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.



APPOLOGIAM
AVGVSTANAE
CONFESSIONIS

ART. VII. V. AD. XL.
P. R. E. S. I. D. E.
JONA. CORR. SCHRAMMIO

ANNO MDCCXXVII. D. JVI.
P. R. E. S. I. D. E.
ERNESTO AVGVSTO S. ALLMANNIO

HEIMSTADT
P. R. E. S. I. D. E.
ACAD. TYPOG.





ART. VII.
DE ECCLESIA.

§. I.



Ejecerant hîc Adversarii (I) *Thesin* August. Confessionis, *Ecclesiam esse Congregationem Sanctorum.* (II) Laudaverant sententiam de *perpetuâ Ecclesie Duratione.* (III) Confessionem de *Vnitate Ecclesie quoad Ritus* ex parte laudaverant, ex parte rejecerant. Vnde ad tria hæc capita disferitur in *Apologiâ.* Nempè quod ad (I) queruntur (α) Nostrates sibi affingi, quasi Impios ab Ecclesiâ prorsus excludant, cum Articulum VIII. ideò statim adjecerint, ad quem provocant. Simulque concedunt Ministerium Malorum, hujusque Efficaciam. Quod præcipuè notandum contra Fanaticos & Separatistas. Concedunt etiam, Antichristum sedere in Templo Dei, ut II. Thess. II. 4. dicitur. De quo deinceps disputatum in der nohtwendigen Verthädigung des Augapfels/ Nr. VI. Et in Art. Smalcald. Part. III. Art. IV. Monent tamen (ε) quod Ecclesia Christiana non solum juxtà Notas Externas, quæ sunt Verbum Dei & Sacramenta, sed

præcipuè juxtà Communionem Internam Fidei ac Spiritus Sancti spectari debeat. Probatur id (γ) ex Eph. V. 23. III. 15. 22. ubi vocatur Corpus Christi. In quo certè, cum totum vivum sit, membrum mortuum non est. Et ex Eph. V. 17. ubi Signis non obstantibus Externis, Sanctificatio per hæc Interna, hujusque necessitas repetitur, prout in Aug. Confessionis locus totus recitatus erat. Probatur (δ) etiam è *Symbolo Apostolorum* Art. III. ubi profiteremur, nos credere *Ecclesiam Sanctam, & Sanctorum Communionem*. Quæ utique ex Impiis & Hypocritis constare nequit. Nisi *κατὰ τὴν* solùm hæc verba velis, quo sensu concessa sunt ab initio. Et LUTHERVS ipse Comm. in Gal. I. p. 24. *Idèd Romana Ecclesia est Sancta, quia habet nomen Sanctum Dei, habet Evangelium, Baptismum, &c. Ista si sunt in populo, dicitur Sanctus.--- Hoc iterum inculco, ut discamus posthac, quid sit Christiana sanctitas, ad alias sanctitates comparata.*

§. II. Porrò cum ad *Part. (II) de Ecclesie Duratione* procedunt, (ν) Doctrinam hanc de Ecclesiâ Catholicâ necessariam, & magno piis esse solatio profiterentur, quando actum esse videtur de Veritate Doctrinæ, ut tum quidem sub Papatu. Vbi pleraque illorum, quæ adversarii nostri defendebant, maximè in Articulo de Justificatione, Fidei Veritatem evertabant. Tunc enim certi esse debemus, Deum sibi nihilominus servaturum esse Ecclesiam in his terris, usque ad finem seculi. De quo EHINGERVS, HÖPFNERVS, BEKKIVS, PFEIFFERVS, ALBERTI, de Ecclesiâ ante Lutherum, & Occultâ, SONTAGIVS de Motivâ, pluresque de hac materiâ. Docent quoque, (ξ) non esse hoc ad Externam quandam Politiam trahendum, ad quam alligata sit Ecclesia, v. gr. ad Curiam Romanam, ut voluit Pontifex. Quoniam testante LYRA, *sæpè multi*

multi Principes & summi Pontifices, & alii inferiores inventi sunt apostatasse à Fide. Sic & HADRIANVS VI. Comm. in IV. Sent. Art. III. de Confirm. Si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum est, quod possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem. Hanc potius promissionem (γ) Invisibilem concernere Ecclesiam, quæ propriè Ecclesia sit, juxta Decretum GRATIANI & HIERONYMVM. In illud Part. II. de Pœnit. Dist. I. c. Ecclesia. Glossa: De Ecclesia. S. XXIII. q. IV. forte. contra. solo. Ecclesia quandoque largè sumitur & paleam complectitur. Ut est in contrariis S. XXXII. q. IV. recurrat. Vel dic aliud esse de Ecclesiâ, quod hîc negatur de malis. Aliud esse in Ecclesiâ, quod in contrariis conceditur. Vel distingue. Nam sunt quidam in Ecclesiâ nomine & re, ut boni Catholici: ut hîc. Quidam nec nomine nec re, ut præcisi. S. XXII. q. IV. Si quis à Catholicâ. Quidam nomine tantum. Ut de Consecrat. D. IV. Non dubito. Hic verò ibid. in V. cap. Ep. ad Ephes. citatus: Ecclesia Christi est non habens maculam neque rugam, aut aliquid istiusmodi. Qui ergò peccator est, aliquâ sorde maculatus, de Ecclesiâ Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici. (δ) Monstrare hoc causas, quibus Membra Christi evadamus. Hîc enim Canon obtinet, qualis causa talis Effectus. (ε) Nullumque aliàs esse inter Rempublicam quamvis, vel Judaicam, & Ecclesiam Christianam discrimen. Ubi Cives solùm ab exteriori ratione dijudicantur. Non æquè Christiani in Ecclesiâ. Testantibus in Psalm. XLV. 14. commentatoribus, THOMA, LYRA, DIONYSIO. Hic enim: Omnes Christo uniuntur per Fidem & Gratiam. Iste: Non in magno apparatu, sicut Synagoga gloriabatur. Ille: Non in exteriori observantiâ, sicut in V. Testamento. Adeoque (ζ) ad Ecclesiam Invisibilem quadrare Promissiones, v. gr. Es. LIX. 21. & Comminationes, ut Act. XX. 29. A 3 §. III.

§. III. *Doctrinæ Unitatem* quoad *Ritus Particulares* haud necessariam esse, Part. (III) concefferant Adversarii, at non æquè statuendum esse, dixerant, de *Ritibus Universalibus*. Quam Distinctionem (a) ignorant, ut crassam, (eine gute grobe distinction) Nostrates. Quoniam satis ad Unitatem est unus Christus, unum Evangelium, unus Spiritus, una Fides, & eadem Sacramenta. Quæ est unitas Spiritualis. Ad quam nec Universales Traditiones Humanæ sunt necessariae, Col. II. 16. Rom. XIV. 17. (b) Se inde quoque ad illas rejiciendas adductos esse, testantur, quod multi putaverint, sine Traditionum Externarum observatione neminem coràm Deo justificari posse. (c) Se nihilominus propter Externam Disciplinam Traditionum Utiliorum Unitatem admittere, ut Diei Dominicæ, Festorum, & Missæ seu Liturgiæ. Prout nempè illarum aut Constitutione aut Abrogatione vis conscientiæ non imponitur. Ut in mandatis Interimisticis postea contigit. Benè enim CARPZOVIVS Isag. ad Art. XV. Aug. Conf. p. 437. *Utut igitur dissimilitudo Rituum, præsertim si jam jam longo usu obtinuerit, ipsam Unitatem Ecclesiæ non scindat, tamen turbare eandem potest Rituum Mutatio, quandò suscipitur sive à certis saltem unius cætus membris, sive ab integrâ vicinâ Ecclesiâ particulari.* Add. **Schulenburgs** Unterricht von Gebrauch und Mißbrauch der Christl. Freyheit in äusserlichen Kirchen Ceremonien und Ordnungen / Quedlinb. 1711. Quare tandem (d) respondetur inde ad *Exceptionem Adversariorum*, quasi Ritus isti ab Apostolis traditi sint, si quid talium ab Apostolis derivari queat, eos tamen tanquam certis Legibus noluisse onerare Conscientias, ut constet è diversitate *Termini Paschalis*, ab Apostolis unà cum Judæis adhuc liberè observati, & postmodum ab Ecclesiis quibusdam eâdem liber-

libertate in Occidente Sec. potissimum 2. & 6. mutati. De quo conf. EVSEB. L. IV. c. XIII. VSSER. Ant. Brit. Cap. XVII. quoniam ibidem hæc controversia recruduit. Vid. & Progr. nostrum de *Die Paschali è Libr. Symbolicis*, quo fest. Pasch. Ann. 1717. *δυσνόητα* ad h. l. dissolvimus, & Apo- logetas à negligentia vel inscitia ipsis à malevolis ideò im- putatâ, defendimus. Nempè quod EPIPHANII vel au- toritatem, vel CANONIS APOSTOLICI veritatem, vel ipsum APOSTOLORVM MANDATVM concernit, de quibus ibidem quæstio. Illa solum κατ' ἀνθρώπων allegatur, è L. 3. adv. Hæres. ut sit fides penes autorem; dummodò EPIPHANIVS in eo consentiat, quod Apostoli Termini- num Paschalem non præscripserint. CANON verò APOSTOLORVM talis haud extat, qualis citatur ab EPI- PHANIO, sed contrarius est VII. ne Pascha celebetur cum Judæis. Mandatum denique Apostolorum luculentum Col. II. 16. (e) Ad hominem quærent, si tam sanctè ser- vandæ sint *Traditiones Apostolicæ*, cur Adversarii Traditionem Apostolorum etiam *in Eucharistia* mutaverint? Quare qui hæc & similia sine necessitate mutari posse, persuadent Episcopis, aut his qui gaudent jure Episco- porum, sive iisdem sacris publicis addicti sint, sive alienis, remittuntur ad Art. XV. de Ceremoniis Ecclesiasticis, & ad Abus. VII. de Potestate ac Jurisdictione Epi- scoporum, ut sciant, quibus legibus hîc eas uti oporteat. Vid. D. PLATHNER. de Jure Reformationis sub fin. Me- dit. ad Evang. Dominical.

ART. VIII.

DE

ECCLESIA QVOAD FACIEM EXTERNAM.

§. I.

Hunc Articulum totum Adversarii admiserant, nempè quod

quod (I) Hypocritæ ac Impii sint in Ecclesiâ. Et (II) quod Sacramenta ab Impiis administrata non careant Efficaciâ. Quia Ministri funguntur officio Christi, juxtâ illud Luc. X. 16. *Qui vos audit, me audit.* Ideoque addunt tantum Nostrates, (I) quod Impii tamen doctores, utpote Antichristi, ob falsitatem doctrinæ deserendi sint. Ubi *Impios* Doctores benè vocat *Exemplar German.* falsche Lehrer. *Malos*, qui in *Latin.* *Exempl.* audiunt, Heuchler und Gottlose. Juxtâ Matth. XXIV. II. VII. 15. Gal. I. 8. Atque hinc (II) illi, qui schisma excitaverant, seu, quod offenderentur vitiis privatis, ut quondam Donatistæ, seu quod negarent possessionem bonorum propriorum, seditiosi esse judicantur. Quoniam proprium possidere, civilis ordinatio est. *Quâ multò magis munitur autoritas Magistratum, & dignitas omnium ordinationum civilium, quàm per fatuas de Platonicâ quâdam communionem Bonorum, Monasticasque opiniones; siue de Clericis sermo sit siue de Laicis.* Ceterum quæ de Waldensibus, Pauperibusque de Lugduno, Wiclefo, & Husso adduntur, ac si Donatistarum Hæreses revocaverint, studio prætereunt. Nec enim opus erat, hoc loco attingere. Vid. infr. Art. XVI. de Magistratu Civili, §. II.

ART. IX.

DE BAPTISMO.

§. I.

Et hunc Articulum totum concesserant Adversarii, scilicet (I) quod Baptismus ad salutem sit Necessarius. (II) Quod Pueri sint baptizandi. Unde (III) ex Imperio Romano - Germanico ejiciendi sint tumultuantes Anabaptistæ. Nostrates hinc (I) Deo gratias agunt, quod ad-
versus

ART. X. DE EVCHAR.

versus impiam & seditiosam factionem illorum latronum
populus in Ecclesiis nostris hætenus munitus sit. Quod
prædicationi Evangelii diligenti adscribunt. Secus quam
fuerat multorum Pontificiorum accusatio. (2) Corrobo-
rant ex Scripturis, Pædobaptismum non esse inutilem,
contrà Anabaptistarum somnia, è Marc. X. 13. Matth.
XXVIII. 29. Scilicet propter Promissiones Divinas &
Mandatum Christi, quæ & parvulos concernunt, Regni
Dei, & Salutis in hoc oblatae participes. Denique (3) Deo
dicunt acceptum esse Pædobaptismum. Quoniam in in-
fantiâ baptizatis dederit Spiritum Sanctum. In *Gerin.*
est: vielen. Nempè qui sic baptizati fuerunt. De quo
fructu etiam *AVGVSTINVS* Libr. I. de Pecc. Merit. &
Remiss. c. 19. *Si autem propterea rectè fideles vocantur, (in-*
fantès) quoniam fidem per verba gestantium quodam-
modò profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur,
cum per eorundem verba gestantium Diabolo & huic seculo
renunciare monstrantur? Totum hoc in spe fit, vi Sacramenti,
& divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ. Citrà
Baptismum enim nullis daretur Spiritus Sanctus, nullis gra-
tia obtingeret, nulli fierent salvi, denique nulla esset Ecclesia.
Add. post multos alios Tract. peculiarem: Hier. *Wilsch.*
Schmidts *Theologisch-Historische Betrachtung/ vornehm-*
lich von der heil. Kinder: Tauffe/ Schwabach 1736. 8^v.
1. a. 2. b.

ART. X.
DE EVCHARISTIA.

§. I.

In verbis quidem nihil offendere hunc Articulum, puta-
verant Adversarii, cum in Aug. Confessione Nostræ
tes Corpus, & Sanguinem Domini verè & substantialiter

B

cum

cum Pane & Vino consecrato adesse, statuissent. Dumque (I) id ita credendum esse, monent, ut *sub qualibet specie Christum integrum adesse*, dicamus, superfluum his videtur. Nam de præsentia vivi Christi se locutos esse, ipsi in Apologia fatentur, juxta Rom. VI. 8. quem locum in Responsione ad Aug. Confessionem citaverant. At quod Communio sub Unâ inde deducenda non sit, deinceps Art. I. Abusuum, ostendunt.

§. II. *Ecclesiæ* verò (II) credendum potius esse, v. gr. c. *firmiter de summ. Trinit. & Fide Cathol.* citantibus adversariis, quàm nonnullis, aliter, & malè quidem docentibus, suo loco relinquunt. Et ipsi provocant ad Ecclesiam Romanam, pariter ut ad Canonem Missæ apud Græcos. Additur in *Exemplar. Lat. Authent. In quo aperte orat sacerdos, ut mutato Pane ipsum Corpus Christi fiat.* Scilicet per μεταβολήν, non per μετασίωσιν seu Transsubstantiationem, quam ignorare malunt Græci. Vid. Controvers. nostras *cum Græcis*, Disp. II. §. VI. Utut in ipsâ praxi variant. Unde κατ' ἐνθρονον saltem hoc Argumentum admittitur.

§. III. Cum etiam Nostri (III) laudantur, quod *Capernaïtas* damnent, Corporis & Sanguinis in Eucharistiâ veritatem negantes; facile consentiunt, nihilque adjiciunt præter Confessionem repetitam, *Corpus & Sanguinem Christi verè adesse & exhiberi cum illis rebus, quæ videntur, Pane & Vino*, secus, quam Transsubstantiatio aut Spiritualis tantùm Manducatio infert.

§. IV. Variant hîc *Exemplaria*. Unumque *Latinum formæ quodruplicis*, in 4to. quod Authenticum optimumque putamus, hæc addit: *In quo aperte orat sacerdos, (nempè in Canone Græcorum,) ut mutato Pane ipsum Corpus Christi fiat. Et Vulgarius, scriptor, ut nobis videtur, non stultus, disertè*

disertè inquit, Panem non tantum Figuram esse, sed verè in carnem mutari. Et longa sententia est Cyrilli in Johannem Cap. XV. In quâ docet, Christum corporaliter nobis exhiberi in Cænâ. Hinc sequuntur, ut in ceteris, verba CYRILLI ad Joh. XV. 2. & I. Cor. X. 17. Et paulò ante; Hanc sententiam constanter defendimus, re diligenter inquitâ & agitatâ. Cum enim Paulus dicat, Panem esse Participationem Corporis Domini, &c. sequeretur, Panem non esse Participationem Corporis, sed tantum Spiritus Christi, si non adesset verè Corpus Domini. Quæ quidem omnia desunt in ceteris Exemplaribus, tam Latinis quàm Germanicis Invariatis, in Form. Concord. & Corpore Doctr. Jul. Sed nihil hoc impedit. Facile constat mens Apologetarum, quod & Transsubstantiationem, quâ desit Panis & Vinum, & solam Spiritualem Manducationem, quâ desit Corpus Christi vivum, quamque Zwingliani tum temporis asserbant, à se amoliri voluerint, ac proinde verba CYRILLI longiora pro se allegaverint. Testis erat HOFFMEISTERVS apud FABRIC. Harm. Conf. Aug. p. 228. Hac in re, nisi fortè nobis verborum similitudine imponere velint, non Ecclesiam Catholicam, sed Sacramentarios & Anabaptistas habent testes, & his ipsis diebus, utcunque tergiversentur, utcunque interpretationes comminiscantur, utcunque retractent. Quæ tamen Retractiones, si quæ fuerunt fortè, ad evitandum Transsubstantiationis dogma suscipiendæ fuerunt. Quod verò ad VVLGARIVM spectat, sphalma fuit typographicum, pro BVLGARIO, quo cognomen THEOPHYLACTI, Bulgarorum Episcopi, quem citat HOFFMEISTERVS pro Transselementatione in Eucharistiâ. Ita communiter. Vid. Meditat. ELSWICHII in Bibl. Lubec. P. I. Ann. 1725. Nr. 3. PEVCERVS hoc testimonium omisit. Aut ponitur VVLGARIVS pro ALGERIO, Leodiensi,

qui cum A. 1130. scripsisset tres libros de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini adversus Berengarium, laudatur itidem ab HOFFMEISTERO, & pro se allegatur, unâ cum PHILIPPO, Apologiæ Autore l. c. *Collegit ipse Philippus Patrum sententias super Eucharistiâ, (Anno 1560.) ad quas pium Lectorem remitto. Extant item Lucubrations pie & eruditæ D. D. Guimundi & Algeri, quibus hoc negotium exactissimè tractatur.* Quem proinde Philippus rectiùs fortè, quàm Theophylactum, scriptorem non stultum appellare poterat. De verâ sententiâ Melanchthonis in hoc loco contrâ Zwinglianos add. etiam D V R R I V M ad Libros Normales, p. 63. Maculam Art. X. Aug. Conf. Invariatae adpersam, absterfit Orat. solenni D. ABICHTIVS d. XV. Jun. Anno 1730. Witt. 1730. ed. ib. De *Canone Missæ* adhuc observamus, quod eum quoque citet G V I T M V N D V S, laudatus ab HOFFMEISTERO, itidem Sec. XI. contrâ BERENGARIUM L. III. c. 3. *Quam oblationem tu, Deus, quæsumus in omnibus benedictam facere, digneris, ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectissimi tui filii.* Sed AMBROSIVS L. IV. de Sacrament. c. 5. ex eod. Canone: *Quod est figura Corporis & Sanguinis Domini. Verba quoque ALGERII sunt Libr. citato, non longè ab initio: Panis autem fit eadem caro, non nascitur caro, nec assumit carnem, sed mutatur in carnem. — Sed factus, quod non erat, ut desistat esse, quod fuerat.* Ex quo concludendum, quo sensu *Figura*, & quo *Mutatio* hoc loco sumantur. THEOPHYLACTI verba sunt ad Matth. XXVI. 26. *Non enim dixit: Hoc est figura; sed: Hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur Panis.* Eligas hinc, quemcunque velis.

ART.

ART. XI.
DE CONFessione.

§. I.

Acceptaverant in hoc Pontificii, quod Nostrates Confessionem & Absolutionem Privatam retinuisent. Monuerant autem, ut juxtà Canonem in Decretalibus Gregorii L. V. Tit. XXXVIII. de Pœnit. & Remiss. c. XII. *Omnis utriusque sexus*; quotannis saltem fieret, & cum Enumeratione Peccatorum, quorum rediret memoria. Nostrates ergò, cum plura ad hunc Articulum infrà de Pœnit. Christianâ Art. XII. sese dicturos promississent, supponunt, Potestatem Clavium esse de Mandato Dei, atque à D. LUTHERO, nostrisque Ecclesiis singulari studio observari. Et porrò commentantur ad hunc Canonem, (I) nec *Annua*m præcisè à Canone, nec à se quoque requiri. Sed frequentem duntaxat, quandò licet.

§. II. Porrò nec (II) *Enumerationem singulorum peccatorum* eo contineri sub Necessitate, & ad onerandam Conscientiam, ut perperam Summistæ, sed liberam, & prudentiæ Ministri conformem, ut ipsi sentiant cum PANORMITANO, Commentatore Sec. XV. in Jus Canonicum, qui aliàs Nicolaus TVDESCHVS. Vid. CAV. ad Sec. XV. p. 86. Quæ scilicet non sit Juris Divini. Imò potius de Christo, Fide, & Remissione Peccatorum cum Peccatoribus loquendum esse, de quibus taceant Decretales, & horum Commentarii ingentes, qui in colligendis Delictorum Catalogis prolixis versantur. Cumque hinc malè hætenus applicatus fuerit Canon, ob impostam Conscientiis confitendi proprio Confessionario necessitatem, & leges adstrictas, contrà se allegari non debuisse. Aliter David Ps. XIX. 15. *Delicta quis intelligit?*

Canon ipse ita habet: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur fideliter proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Sacramentum Eucharistiæ. Nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioqui & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantie cœcitate velamen excusationis assumat. Si quis alieno sacerdoti justâ de causâ voluerit sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum. Caveat autem omninò, ne verbo aut signo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ullâ expressione personæ cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumserit revelare, non solum à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum. Nostrates vicissim adducunt Canonem Decreti P. III. de Consecrat. D. 2. c. XII. è Concilio Toletano Primo: *Hi qui intrant in Ecclesiam & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur. Quod si non communicant, ad Pœnitentiam accedant. Si communicant, non semper abstinant.**

neant. *Si non fecerint, abstineantur.* Ad Pœnitentiam ergò accedunt, quotquot singulis Diebus Dominicis confitentur coràm Sacerdote Peccata, & Absolutionem audiunt è suggestu. Pertinet verò huc Contemptor *ἀδειπνος*, seu Dissertationes Theologicæ, de Usu Sacr. Pœnit. frequentiori, luci expositæ à D. ZEIBICHIO, Witteb. 1733. NITSCHEI Beweis/ daß ein ernstlicher Christ weder durch die Empfindung seiner eigenen Schwachheit/ nach durch die Überzeugung anderer Unwürdigkeit/ vom Gebrauch des heil. Abendmahls sich soll enteüßern. Goth. No. 1713. Plures nos in Principiis nostr. Theol. Revelatæ. Add. ad hunc Artic. D. 2. de Consecr. c. 16. 20. 21. D. 5. de Pœnit. c. I. ubi *Glossa: Confessionem melius dici institutam à Traditione Ecclesiæ generali, quàm ex Vet. & Nov. Testam. autoritate.* Prodiit quoque haud pridem gründlicher Bericht von der Privat-Beichte und Absolution in der ersten und Evangelisch-Lutherischen Kirchen; aufgesetzt von einem vornehmen Theologo, nebst einer Vorrede aber zum Druck befördert/ von Erdmann Neumeistern/ Past. zu St. Jacob in Hamburg/ Leipz. 1735. 12. pl. in 8^{vo}. Abusum Librorum Symbolicorum in hoc capite reprehendit editor celeberrimus, & gaudet, quod apud nos Confessio Privata & Absolutio laudabili more retineatur. Ipse liber ad scopum nostrum imprimis accommodatus. Vid. quoque Part. II. Abus. A. Conf. Art. IV. de Confessione.

ART. XII.
DE POENITENTIA.

§. I.

Majoris interest de Art. XII. de *Pœnitentiâ*, ad quem in præcedente provocaverant nostrates. Adversarii commendaverant, quod in Aug. Confessione Lapsis omni
tem-

tempore veniam isti promississent. Sed confutaverant duas Pœnitentiæ Partes ab ipsis positas. Pro quibus potius Confessio, Contritio, & Satisfactio substitui debeant. Imprimis Satisfactionem laudaverant, secus quam fecerant Nostrates. Igitur in Apologiâ duo Capita constituentur, pluribus deducenda. Nempè, (I) de Pœnitentiâ ejusque *Partibus veris*. Et (II) de *Confessione & Satisfactione* in specie.

§. II. Part. (I) de Pœnitentiâ, *Causas*, cur Responsionem Adversariorum verbis Christi Matth. VIII. 13. Matth. XV. 28. Luc. XVIII. 42. directè contradicentem, admittere nequeant, & *Momentum* Doctrinæ suæ, de *Necessitate Fidei*, ad urgendam Pœnitentiam, Imperatori exponunt. Quamobrem indicant, quantum Conscientiis afflictis ideò intersit, & quàm variè implicata hactenus fuerit à *Sententiariis & Canonistis* ante Lutherum, & quàm stolidis & noxiis de Contritione & Attritione citrà ullam Fidei mentionem, item de Potestate Clavium & Absolutione, tam ipsa Pœnitentia, quàm *Confessio* in hac atque *Satisfactio* vexata, & tota vitiata sit quæstionibus. Idemque in specie probant, recensitis ex his *Undecim Erroribus* præcipuis. Qui sunt 1. Deum teneri ad Remissionem Peccatorum propter Opera nostra. 2. Nos Attritione Gratiæ mereri. 3. Satis esse, ad extingvenda peccata errorum odium. 4. Non propter Fidem, sed Dolorem, Remissionem Peccatorum obtineri. 5. Potestatem Clavium non coràm Deo, sed coràm hominibus absolvere. 6. Pœnas Æternas in Temporales commutare, & Satisfactionem imponere, & Conscientiam ad hanc obligare posse, quem & in finem à Christo instituta sit. 7. Enumerationem Peccatorum à Deo esse mandatam. 8. Satisfactiones humanas necessarias esse, ad delendam culpam & Pœnam

nam

nam pro ratione meriti. 9. Per Sacramentum Pœnitentiæ ex opere operato Gratiã sine Fide obtineri. 10. Per potestatem Clavium dari Indulgentiam, ad Liberationem Animarum è Purgatorio. 11. In casibus reservatis non Pœnas Canonicas, sed Culpam Peccatorum coràm Deo à Pontifice reservari posse, etiam illis, qui ad Deum convertuntur. Inde verò, his rejectis, fatetur Autor Apologiæ, se potius ad fugiendos hos errores, & ob ipsum rei momentum, Contritionem & Fidem partes ponere pœnitentiæ, & si quis Fructus pœnitentiæ tanquam partem aliquam annectere velit, scilicet quæ ceteras consequatur, non ingrediatur, se non repugnare. Quæ etiam, quomodo verè producantur à Verbo Dei, monstratur è Luc. XXIV. 47. Atque hinc benè intelligenda sunt, quæ dicuntur: *In diesen zweyen Stücken stehet die Summa des Evangelii. Erstlich saget es/ besfert euch/ und macht jederman zu Sündern. Zum andern heuts an Vergebung der Sünden/ das ewige Leben/ &c.* Nempe ut Evangelium capiatur pro totâ Christi Doctrinâ & Verbo Dei, de quo sermo fuerat. Ita lites postmodum hac de re ortæ facile expirabunt. Vnde statim de partibus verbi divini differitur, quod è *Lege Contritio*, de quâ Psalm. XXXVII. 5. VI. 3. Ec. XXXVIII. 10. & imprimis Paulus Gal. II. 19. (non, ut quidam Rom. VII. 10.) *Per Legem Legi mortuus sum. Fides autem ex Evangelio* prædicato, & per Absolutionem annunciato efficitur, quibus & *Usus Sacramentorum* accedit Matth. XXVI. 28. Quodque hæc duo, Contritio & Fides, in Pœnitentiâ necessariò se subsequantur, probatur è Matth. XI. 28. Marc. I. 15. Vbi Christus, non ipse quidem, sed per Johannem: *Pœnitentiam agite & credite Evangelio.* Add. Rom. VI. 4. IV. 26. vel, V. 1. Psalm. CXVII. 18. CVIII.

28. I. Reg. II. 6. Es. XXVIII. 20. 21. Prout nempè dividitur in Legem & Evangelium tota Scriptura. Add. Gen. III. 15. II. Sam. XXII. 13. Luc. VII. 38. 48. *Fructus* inde demùm emergunt. Docent porrò, *Fidem* esse *præcipuam partem Pœnitentiæ*, ut totus hic Articulus omnium, de quibus controvertitur, præcipuus est, cum illo de Justificatione, ut ibidem indicatum, nec Pœnitentiam ipsam præcedere. Scilicet è *naturâ Absolutionis & Remissionis Peccatorum*, ad pœnitentiam perfectam absolutè necessariâ, ad quæ Fides promissionem accipiens requiritur, Rom. IV. 13. I. Joh. V. 10. item Rom. III. 25. V. 2. Es. XLIX. 23. Vnde Petrus citat I. Ep. II. 6. Add. Act. X. 43. Vbi Prophetæ omnes cum Ecclesiâ Catholicâ comparandi, cum quâ potius convenit BERNHARDO, quàm SCOTO, GABRIELI, & SENTENTIARIIS aut CANONISTIS. Rectissimè enim BERNHARDVS Serm. I. in Annunc. b. Mar. non longè ab initio: *Necesse est enim, primò omnium credere, quod Remissionem Peccatorum habere non possis, nisi per Indulgentiam Dei. Deinde, quod nihil prorsus habere queas Operis Boni, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quod Æternam Vitam nullis possis Operibus promereri, nisi gratis detur & illa.* Et paulò post: *Sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per Fidem.* (Rom. III. 27.) Inde sibi vindicant etiam Apologetæ CHRYSOSTOMVM, qui Proem. Pr. Comment. in Es. I. de Certitudine Remissionis peccatorum differit. Ad quem LOMBARDVS & ad hunc SENTENTIARIUS ad L. IV. Dist. XVIII. frustra movent Quæstiones, omissâ Fide. Add. de hac Certitudine CHEMNITIVS, SACCVS,

CVS, VEILIVS, MÜLLERVS. Subjicitur & in Apologiâ TERTVLLIANVS, qui sine Fide miserimos vocat pœnitentes, L. de Pœnit. c. IV. *Bonum est, inquit, pœnitere, annon? Quid revolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat præmio salutem, jurans etiam: Vivo, dicit, (Ezech. XXXIII. II.) cupit, credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat. O miserimos, si nec juranti Domino credimus. Denique & AMBROSIVS Libr. II. de Pœnit. c. III. Ergò & agendam pœnitentiam & tribuendam veniam credere nos convenit, ut veniam tanquam ex fide speremus, non tanquam ex debito. Aliud enim est mereri, aliud præsumere. Tanquam ex syngrapha fides impetrat.--Solve boni affectum debitoris, ut usuram non facias; sed fidei tuæ causa contracti nominis sænus evacues. Item: Fides, quæ peccata nostra comperit. Add. cap. V. it. cap. XI. ubi idem: *Etsi opera non sequuntur, fides non deseratur.* Pessimè igitur è LVTHERO LEO X. Pontifex Ann. MDXX. hunc Articulum damnaverat: *Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote, credat sibi remitti. Imò Peccatum maneret, nisi remissum crederet. Non enim sufficit Remissio Peccati, & Gratie Donatio, sed oportet etiam credere, esse remissum.* De quo vid. Tom. I. LVTHERI Jen. Germ. fol. 257. Art. X. & cum acri Examine Vlrici HVTTENI ad Germanos, Tom. I. Jen. Lat. fol. 477. b. Imprimis cum absurdum hoc inde sequatur, quod per Legem justificemur, præviâ Contritione, quod est contrà Gal. II. 21. Rom. IV. 16. Psalm. CXXX. 3. Gal. III. 22. Accedit denique Necessitas Certitudinis de Remissione Peccatorum, ad consolandas Conscientias afflictas, suprema. Quæ certitudo non nisi per Fidem constitui potest vel produci, Rom. XIV. 23.*

§. III. Parte (II) de *Confessione & Satisfactione*, probatur primùm Confessionis Necessitas, propter Absolutionem verbo Dei mandatam, v. gr. Joh. XX. 23. Sed sine Peccatorum Enumeratione speciali. Tum verò Loca è Scripturis in Confutatione citata explicantur, v. gr. Prov. XXVII. 23. Ps. XXXII. 5. cum quo conf. Ps. L. 6. Jac. V. 16. quibus adversarii in rem suam usi fuerant, rejectâ horum sophisticatione. Vid. Abus. IV. Aug. Conf. de Confessione. Loca Patrum verò ad hoc forum non pertinere, sed ad Ecclesiasticum & ad Pœnitentiam Publicam, indicatur. Ut nec *Opera Indebita* vel *Satisfactiones Canonicas*, de quarum Origine & Abusu ideò disseritur. Nempè, quod ad Disciplinam Externam introductæ, & ad Exemplum aliorum ab Ecclesiâ vel Pontifice impositæ, quæ nihil spectent ad forum divinum. Quo sensu quoque LOMBARDVS & GLOSSÆ CANONVM de iisdem loquuntur. Ille de Confessione Libr. IV. Dist. XXI. E. *Quia nemo delicta intelligit omnia, generaliter saltem ea confiteri, quorum memoriam habes, & sic nihil celasti, de sceleribus tuis.* Et de Satisfactione à Sacerdotibus impositâ L. V. Dist. XVIII. c. 4. *Ligant quoque Sacerdotes, dum Satisfactionem Pœnitentiæ confitentibus imponunt.* Et GLOSS. IN DE CR. 24. QU. 3. Cap. 18. Ecce. 18. *in casu. Ne exemplo suæ perditionis alios inficiant.* Quod autem nil juvet Satisfactio sine Fide, LOMBARD. Dist. XV. *Immundi sunt omnes, quos non mundat Fides, quâ creditur in Christum.* Et paulò ante ibid. *Illud etiam, quod ait Ambrosius: Etsi fides desit, Pœnitentia satisfacit &c. non de fide intelligitur, quâ creditur in Deum: sed de Conscientiâ Delicti.* Deest enim Fides, cum Conscientiâ Peccati non subest. Nam cum delicta omnia nemo intelligat, est aliquandò in homine peccatum, cuius non habet conscientiam. Unde Apostolus, *Nil mihi confilius*

filius sum, sed non in hoc justificatus sum. Unde constat, nihil ad Peccati veniam aut munditiam internam has facere Satisfactiones. Sic quoque GLOSSÆ ad DECRETVM passim. Add. Cap. 14. *Cum ex eo, de Pœnit. DECRETAL. L. 6. c. 38. Non extendantur Indulgentiæ ultrâ annum.* Et paulo post: *Eleemosynarum quoque quæstores, quorum quidam se alios mentiendo, abusiones nonnullas in prædicatione proponunt, admitti, nisi Apostolicas vel Diœcesani Episcopi literas veras exhibeant, prohibemus.* Oportet nos diem extremæ misericordiæ prævenire, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parvè seminat, parvè & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet vitat eternam. Item Decret. Ps. II. Dist. 3. Can. IV. *Satisfactio pœnitentiæ est, peccatorum causas excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.* EX AVGVSTINO. Et ex eodem Dist. eâd. *Illud verò, de Davide: Confessus est delictum suum. Agnovit iniquitatem: vidit lavacrum: vidit & credidit. Dilexit multum, ut nimiam caritate tegere errorem quemvis posset.* Et paulo ante: *Remissum est ei omne peccatum.* Licet specialiter de hoc Nathan propheta respondit: *Et Dominus transtulit peccatum tuum.* Ergò et remissionem meruit iniquitatis, & texit (nempè postea,) caritate atque operuit peccata; & texit operibus bonis. Quò tendit quoque testimonium GREGORII Dist. I. *Si peccatum.* Verba autem in Apologiâ citata: *Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio, &c. ibid. Can. seqv. Sicut primi homines.* citantur EX AVGVSTINO, Homil. de Pœnit. Qui Libr. de Ver. & Fals. Pœnit. c. 8. eodem sensu: *Pœnitentiam esse vindictam punientem.* Nempè cum sentitur ira Dei Ps. VI. 1. Jer. X. 23. I. Petr. IV. 27. Es. XXVI. 16. Hi igitur Gradus Pœnitentiæ. Et hæc grata Deo & necessaria coram

Ecclesiâ Satisfactio. Audiatur adhuc Canon ex AVGVSTINO, ibid. Diss. III. *Quamvis cautè. Satisfactio quoque Pœnitentiæ: Vade & amplius noli peccare.* Et è CHRYSOSTOMO Diss. I. de Pœnit. c. *Quis aliquando. Negationem namque Petri secuta est Satisfactio lacrymarum, & trina Confessio dominica dilectionis, quâ penitus deleuit peccatum trine negationis. Non ergò necessaria sibi erat certa Satisfactio peccati, cujus totum vitæ tempus impendebatur obedientiæ sui conditoris. Imitabatur enim illud propheticum: Declina à malo & fac bonum. Et illud Esaie (c. LV. 7.) Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas &c. Amplius horum à peccatore nihil exigitur.* Apage ergò Opera Supererogatoria, Indulgentias, Purgatorium, Reservationes Casuum, Papales, Episcopales, Abbatiales, de quibus CHEMNITIVS Exam. Concil. Trident. Part. II. ad Sess. XIV. tum & Rosaria, Peregrinationes & similia. Add. quoque D. RECHENBERGII Disp. de Restitutione Ablati, ad Augustin. Epist. 54. Lips. 1714. Quæ Epistola cum citatur DECRET. Part. II. Caus. 14. Qv. VI. *Si res aliena.* statim verba GREGORII, ad quæ nostri in Apologiâ respiciunt, adjiciuntur Canon. *Comperimus.* Inferitur hîc etiam à Nostratibus in Cardinalem CAMPEGIVM & Curiam Romanam, ob officium neglectum, investiva, de quo SLEIDAN. ad Ann. 1530. Nosque ad Artic. Smalc. P. II. Art. II. §. III. quod promiserit publicè, *se Pontificis nomine daturum esse operam, ut eandem fidem profiteantur omnes.* Nam ad Cæsarem ideò unâ cum VERGERIO missus fuerat à Pontifice. Levem igitur ejusmodi confutationem ille impedire debuisset, qualis Aug. Conf. opposita, in tam arduis Articulis, & statu tam ambiguo. Ceterùm de Satisfactione plura PAPPVS in Comm. ad Apol. & quem citat ad hunc Art. ANTONIVS P. III. summ. tit. 14. c. 20. §. 1. sqq. ART.

ART. XIII.
DE
SACRAMENTIS.

§. I.

Hunc Articulum admiserant quidem Adversarii, sed tamen monuerant, eum ad VII. Sacramenta extendendum esse. Ideoque Nostrates differunt (I) de *Numero Sacramentorum*, tot Sacramenta & Ceremonias retineri debere, quot Deus instituit. Septem verò hæc Patres haud enumerâsse; quoniam septem Ritus dici quidem poterunt, si bono sensu sumantur Sacramenta, sed quia Verbo Dei, ex quo Fides, non omnes æquè muniri sunt, à duobus præcipuis Baptismo & Eucharistiâ, quæ & Mandatum Dei & Promissionem in specie præferunt, distingui. Unde AUGUSTINVS Libr. XIX. contra Manichæum, cap. 15. Sacramentum appellat *Verbum Visibile*. *Quid enim, inquit, aliud quæque Corporalia Sacramenta, nisi quedam quasi Verba Visibilia, Sacrosancta quidem, veruntamen mutabilia & temporalia?* Absolutionem quidem aliquo modo huc referunt, prout Mandatum Dei & Promissionem habet. Sed sine Visibili Signo. *Confirmatio & Extrema Unctio* Verbo Dei carent, ideoque Sacramenta non sunt. Ut nec *Ordo Sacrificantium*. *Ordo Prædicantium* cum gaudeat eximiis promissis, Rom. I. 16. Ef. LV. IO. II. Signis tamen non gaudet, ut nec Absolutio. Nec Impositio Manuum. Priora, *Conjugium* cum Temporalia concernat, ad quæ propriè dicuntur, haud referendum. Ubi nota non esse contradictionem; quia Absolutio *Sacramentum* quidem, sed non propriè Signum vel Sigillum Novi Testamenti

no-

nominatur. Ita nec Oratio nec Eleemosynæ, nec Signum Crucis vel Calamitates. *Duo* ergò Sacramenta esse, propriè sic dicta, hîc disertè testantur, etiamsi de Numero latè dictorum, vel Vocabulo, haud contendere velint.

§. II. Pluribus verò P. (II) differunt contrà Opinione Scholasticorum, quod *Sacramenta Gratiam* mereantur ex *Opere Operato*. Contrà quam etiam CHEMNITIVS in Examin. Conc. Trid. Sess. VII. Can. VII. & VIII. quia verba Apologiæ de Opere Operato in Concilio isto damnata erant. Nostrates verò in illâ rectè allegant AVGVSTINVM, quod Fides, non Sacramentum justificet. Scilicet Tract. XV. in Johann. *Vt quid paras dentes & ventrem? Crede & manducasti.* Et Tract. XXVI. *Accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens. Si corpore crederemus, fieret in nolentibus. Apostolum audi dicentem: Corde creditur ad Justitiam.* (Rom. X. 10.) Quæ verba Pauli hinc repetunt nostrates in Apologiâ, *Exempl. Aut.* Et LOMBARD. IV. Sent. Dist. IV. D. ex AVGVSTIN. Libr. I. de Baptr. contrà Donatistas, cap. 22. *Quantum ergò Fides valeat etiam sine visibilis Baptismi Sacramento, quod Apostolus ait: (Rom. X. 10.) Corde creditur ad justitiam, ore autem fit Confessio ad Salutem; in illo latrone declaratum est.* Add. idem L. IV. Dist. IX. de duobus modis manducandi. Benè quoque CALIXTVS, cit. CARPZOVIO Isag. ad h. l. p. 353. *De Presentiâ Christi eadem, Joh. l. c. esse sermonem, quæ est in S. Cænâ, quia hæc Spiritualem includit, & suprâ hanc aliquid.* Conf. CARPZOV. Isag. ad h. l. & add. Princip. nostra Theol. Revelat. de Op. Operato p. 254. Nr. (9) Loca Scripturæ, unde idem probatur, sunt Rom. IV. II. Luc. XXII. 20.

ART.

ART. XIV.

DE

ORDINE ECCLESIASTICO.

§. I.

Articulo hoc XIV. de *Ordine Ecclesiastico* concesserant Nostrates in A. C. solis legitimè vocatis & ordinatis officium docendi in Ecclesiâ competere. Idemque iterum, cum nihil monuissent Adversarii, in Apologiâ largiuntur. Mirum igitur, postea à Pontificiis, utut aliis reclamantibus, toties impugnatum fuisse Ministerium Evangelicum, ob defectum Ministrorum Ordinationis, quos volunt Episcopos. Doctè pro illo D. HVLSEMANNVS in Apologiâ Minister. Evang. 1657. Tantum Nostri Episcopis denegari à se testantur Obedientiam, si Evangelium oppugnent, & Tyrannidem suam in Conscientias exerceant, ut necdum facere desistant. Confugiendum ergò nunc potius esse ad Ecclesiam, in quâ Verbum Dei purè doceatur. Sunt & hæc eadem, quæ Art. VII. Abusuum, de Potest. Episcoporum, repetierant in August. Confessione. Et quæ MELANCHTHON Articulis Smalcaldicis P.I. subscripsit. Add. P. III. Art. X. de Consecr. & Voc. Scilicet se ultrò paratos ad conservandum Regimen Episcoporum seu *Politiam Canoniam*, si modò toleretur vera Doctrina.

ART. XV.

DE

TRADITIONIBVS HVMANIS.

§. I.

Thesin A. Conf. in hoc Artic. XV. probaverant Adversarii, quod Ceremoniæ bonæ, quæ ad Externam Disci-

D

sci-

sciplinam Ordinemque faciunt, aut ad Honestatem, *εὐχρη-
 μόνως καὶ κατὰ τάξιν*, I. Cor. XIV. 40. observandæ sint. Sed
 rejecerant, quod *Evangelio contrariæ* sint, quæ ad *expian-
 dum Deum* introductæ. Mirantur hoc (I) Nostri in Apo-
 logiâ, cum notum sit, alibi propter hanc causam ab illis
 damnari *Traditiones Judaicas*. Hinc probant (II) ex Eph.
 II. 8. Matth. XV. 4. Ezech. XX. 18. Gal. V. 4. II. 17. III. 5.
Justificationem nostram coràm Deo *Solâ Fide* fieri, exclu-
 sis Operibus, maximè verò spontè electis, quæ sine Verbo
 Dei neminem certum reddunt, num placeant Deo. Vn-
 de quoque à Prophetis prohibentur. Non jam curamus,
 quæ è malâ Pontificiorum ad A. Conf. Harmoniâ citat
AGRICOLA ad hunc Articulum, quod hæc doctrina de Fide
 sit Hæretica, Diabolica, blasphema, & Mahometica. Nam
 retorquet hæc non immeritò ad Tyrannidem & Supersti-
 tiones illorum, quas longâ serie adducit ibidem, & quibus
 longè vincunt non Judæos tantùm, sed & ipsos Gentiles,
 utut Christiani baptizati audire velint. Vid. *Thornsche
 Merkwürdigkeiten/* Ann. 1724. Berlin 1726. Quare etiam,
 quamdiu obtinent, (III) *Signum Antichristi* è Dan. XI. 38.
 constituunt, & Papatum, dum utilissima simul de Fide Ju-
 stificante sententia opprimitur, necesse est, hinc partem
 Regni Anti-Christiani fieri. Vid. supr. Art. VIII. Malè
 quoque THOMAS II. Sec. q. 147. a. 7. *Jejunium ordina-
 tur ad deletionem & cohibitionem Culpæ*. Et a. 1. *Ad Satis-
 factionem pro Peccatis*. Add. a. 3. Bonus quidem ille GERSON
 Gradus & Latitudines fingit præceptorum, seque torquet
 v. gr. de Vit. Spirituali Animæ, Lect. V. VI. ut ad animi
 tranquillitatem cum Præceptis Dei conciliet, sed de scopo
 suo ipse dubitat. Sic enim iste Lect. V. *Supereft deinceps,
 assignare in præceptis & mandatis duas reliquas Latitudines,
 minorem & minimam, conformando sermonem ad præmissa.*
Quam-

Quamvis non usquequaque proprietas loquendi iudicio multorum servabitur. At si res placet, satis est. Et Lect. VI. Tu iuras servare inviolabiliter omnia statuta, jura, privilegia, libertates, consuetudines laudabiles, nec ipsis quomodolibet contraire clam vel occultè, directè, vel indirectè. Et obediens tali vel tali superiori tuo in omnibus licitis & honestis. Debinc particularia leguntur, quorum non est numerus. O quàm horrendum onus, quàm intolerabilem sarcinam, angelicis etiam humeris formidandam! O jugum plus quam ferreum! Et paulò ante: Querimus investigare, quousque & quantum obligatio regularis extenditur, ne vitare cupientes scyllam nimie laxationis, precipitemus nos & alios in caribdim falsæ & austere obligationis. Quoniam displicet infidelis & stulta promissio. Infidelis, si non impletur, stulta, si discretione non salitur.

§. II. Denique P. (IV) Traditiones Pontificias ne quidem speciem Bonorum Operum habere, rectè judicatur. Contrà verò in Ecclesiis nostris sæpiùs communicari, Conciones de Verbo Dei haberi, catechisari, castigari corpus variis calamitatibus à Deo immisissis, ac Temperantiâ verâ, urgeri Pœnitentiam, secus quàm apud Adversarios factum erat, v. gr. in Italiâ & Hispaniâ, ubi per totum sæpè annum nullæ auditæ Conciones, res ipsa testatur. *Adiaphora* quoque, quæ sine Oneratione Conscientiæ servari possunt, in Comitibus Augustanis sele pacis causâ observaturos cum aliis, imò nihil in his absque causâ urgente mutaturos, promississe, non negant Nôstrates. Sed ad plura de his provocant, ubi de *Vot. Monasticis*, & *Potestate Episcoporum*. Discrepat hîc *Corp. Doctr. Jul.* f. 88. a. à *Latin.* p. m. 190. & 187. Sic & *Germ.* in *Corp. D. Jul.* f. 86. à ceteris.

ART. XVI.

DE

MAGISTRATV POLITICO.

§. I.

Articulum XVI. de *Magistratu Politico* libenter acceptaverant Pontificii, damnatis Anabaptistis. Ideoque (I) Noftrates illustrant eum, monstrato discrimine inter *Regnum Christi Spirituale* ac *Civile*. Porro (II) damnant **CAROLSTADIVM**, qui hoc discrimen tollere & contra è Num. XVIII. 24. *Regimen Mosaicum* introducere volebat. Cui præluferant & Monachi, Vitam Evangelicam vocantes, quâ propria abjicerentur. **CAROLSTADIVM** quidem à feditione aliquo modo liberat **LUTHERVS** Anno 1525. Tom. III. Germ. Jenens. fol. 108. sqq. Nec tamen ejus sententiam erroneam. Add. **SVRIVS** Comm. Hist. ad A. 1539. pag. 1264. ubi turbarum causam fuisse, prodit autor, dum errores suos defendit. De *Carolo stadio* doctè admodum disputavit cont. Gottfr. **ARNOLD.** & *Observ.* VIII. Halenf. P. III. D. J. Fr. **MAYERVS** Gryph. 1708. Ceterum de Legibus Mosaicis vid. **LUTHERI** *Bedenken.* T. II. Jen. fol. 489.

§. II. Denique (III) **ORIGENEM** vindicant, & **NAZIANZENVM**, contra *Julianum* ac *Celsum*, qui quondam Evangelium accusaverant, quasi scinderet Politias, cum potius has non suo solùm loco relinquat, sed & iisdem doceat obedire, & privatam vindictam evitare, Matth. V. 39. Rom. XII. 19. non publicam, de qua Rom. XIII. 4. Item ob *Possessionem Bonorum Propriorum*, contra Carthusianos, Capucinos, & Wiclefistas, exemplis Abrahami, Davidis, & Danielis, Status Oeconomicos tuentur, & Civile Regimen extollunt. Certè Proprietatem rerum licitam, satis arguit
Præc.

Præc. VII. Decalogi. Vid. Act. V. 4. Et Disp. M. SCHELVIG. de Communione Bonorum, tempore Apostolorum Hierosolymis usurpatâ, Act. II. 44. 45. IV. 32. Gedan. 1715. Conf. supr. Art. VIII. sub fin. De *Wiclefistis* CAV. Hist. Lit. ad Sec. XIV. quod tam ferax, ut inde audiat *Wiclefianum*, An. 1360. Sed CONCIL. CONSTANT. Sess. VIII. Art. XLIV. damnatam à Wiclefo, his exhibet verbis: *Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, & instituerunt & intrârunt religiones.* Num rectè hæc perceperint WICLEFI affleclæ, alterius indaginis est.

ART. XVII.
DE IUDICIO DEI.

§. I.

Art. XVII. de *Judicio Dei* totum approbaverant Adversarii, imprimis adversus Anabaptistas, finem Pœnarum Infernalium pro Diabolis & Hominibus damnatis statuentes. Vnde nihil addunt ad illa Nostrates. Insanam carpenti libidinem, FABRICIO & HOFFMEISTERO familiarem, ad hunc Articulum non curamus. Vt nec ROSSEVM, de Aut. in Reg. Imp. & Hær. c. 4. de quo AGRICOLA ad h. Art. Wilh. Rosseus aber hat Maüß/ und schreibt: *Protestantes credunt, animas esse mortales, nec ullam esse Resurrectionem, item, negant Judicium Extremum.* Et quicquid horum est.

ART. XVIII.
DE LIBERO ARBITRIO.

§. I.

Vtut Articulum XVIII. de *Libero Arbitrio* approbavissent Adversarii, monent tamen (I) Nostrates, ab his dicta

Et quædam perperam addi, inter quæ primum erat I. Cor. VII. 37. Ubi Liberum Arbitrium in Civilibus concedit Paulus, quem sequitur AVGVSTINVS loc. cit. Non autem in Spiritualibus, de quo quæstio est. Quod attinet *Exemplaria*, ea in hoc Articulo non variant multum, nisi quod *Germ. Emend.* omittat: *Quoad substantiam actuum, das ist / die Werke können sie thun durch natürliche Vernunft ohne den Heiligen Geist.* Et sic paulò post omittitur: *Ausserhalb der Gnaden.* Quod additur in ceteris explicationis gratiâ. *Substantiam Actuum* verò facit omnimoda cum voluntate Dei convenientia, non quædam solùm cum Lege, aut Concursus Dei Generalis.

§. II. Porrò quoque (II) Nostri addunt, quod *præter necessitatem* duo *Extrema* hîc fugienda esse, hortentur Adversarii, indeque Nostros *Manichæismi* tectè accusent. Den *Catholischen* geziemet es / den *Mittelweg* zu treffen / auf daß den *freyen Willen* / nach *Weise* der *Pelagianer*, nicht zu viel zugeeignet / noch alle *Freiheit* demselbigen mit den *Gottlosen Manichæern* entzogen werde. Imò ipsos potius, qui doceant, *Mandata Dei* sine *Spiritu Sancto* quoad *Substantiam Actus* servari posse, *Pelagianis* esse accensendos. Itaque cum AVGVSTINO & GVILIELMO PARIISIENSI distinguunt inter *Libertatem* in *Civilibus* ac *Spiritualibus*, ac priorem illam integram mansisse, concedunt. AVGVSTINVS nempe citatus Art. XVIII. in *Aug. Confessione*, item suprâ Art. IV. sqq. de *Justificatione*, §. III. & aliis in locis passim. Imprimis L. III. contrâ *Pelagian.* c. 8. *Liberum Arbitrium*, ait, *captivatum, non nisi ad peccatum valet.* *Ad justitiam* verò, *nisi divinitus liberatum, adjutumque, non valet.* De GVILIELMO PARIISIENSI Magdeburgenses in *Cent. XIII.* p. 1033. *De Justificationis Articulo*

*ticulo & aliis doctrinæ Christianæ capitibus multò sensit re-
ctius, quàm ceteri ipsius coetanei doctores. Unde inter Te-
stes Veritatis in Catalogo FLACII apparet, Lib. XVI.
p. m. 642. Et pertinent huc, quæ de Virtutibus & Vi-
tiis, Bonoque & Malo scripsit. Vixit A. 1230. sqq. Cete-
rùm Joh. à DAVENTRIA: Volve, revolve omnia Catholi-
corum Scripta, dispeream, si plus à nostris Libero Arbitrio at-
tributum sit, quàm isti attribuunt. Igitur committimus
hîc ipsos inter se Pontificios in Harmoniâ Aug. Confessionis
ad hunc Articulum, ubi Apologiam scribunt à Luthero abire,
& hunc ideò Manichæismi postulant. Item in Contro-
versis de Auxiliis Gratiæ, & Bonis Operibus Gentilium,
inter BAJVM, JANSENIUM, QVESNELLIVM, horum-
que Adversarios, Jesuitas & affectas. Qui & de Imple-
tione Mandatorum Dei quoad Substantiam Actuum, &
quid hæc sit. Unde patebit, non esse inaudita, quæ vel
LUTHERVS hîc protulit, vel ab Aug. Confessionis APO-
LOGIA distincta, sed jam olim inter Scholasticos dispu-
tata. Imò & ad Pelagianos, quos in A. C. in Antithesi
damnaverant, meritò relatos esse, qui Libero Arbitrio
nimium tribuerant. Conf. CHEMNITIVM in Novâ Do-
ctrinâ Jesuitarum, & quæ ad Concilium Tridentinum de
Gratiâ Dei, & Operibus nostris, inter Dominicanos & Je-
suitas variè sunt disputata. Nuper adhuc lis exorta, ad
quam prodiit, REIMMANNI gerettete Ehre der Augsp.
Confession/ in den 17. Artikel vom freyen Willen/ wieder
einige neue Auflagen und Beschuldigungen eines gewissen
Augustiners/ Hildesheim 1733. Et, contrà quem hæc di-
recta, Præposit. EIKENDORFF. Libr. Der überall richtig
angeführte/ von der Augsp. Confession gerettete Augusti-
nus, &c. zwö Fragen.*

ART.

ART. XIX.
DE CAUSA PECCATI.

§. I.

In Articulo XIX. de *Causâ Peccati* nil est, quod addant Nostates, quoniam illum simpliciter probaverant Adversarii. Nec æquè feriunt hanc doctrinam, quæ in Scholis de Causâ Peccati per se & per accidens, sive ex parte Causæ sive ex parte Effectus, disputari solent. Philosophica ista sunt, dum intrâ limites suos continentur. E Scripturis autem illustrari possunt. Conf. Princip. nostra Theol. Revel. Not. ad Cap. IV. §. II. Nr. (2) Modò inter *autorem* & *causam peccati* distinguatur.

ART. XX.
DE BONIS OPERIBVS.

§. I.

Quanquam Artic. XX. De *Bonis Operibus* cum Articulo IV. sqq. de Justificatione per Fidem, suprâ contraxerant Nostri, tamen cum totum damnâssent Magistri Confutationis, quod per Bona Opera Remissionem Peccatorum Deique Gratiam haud consequamur, graviter rursus conqueruntur (I) contrâ eosdem, & magnam esse audaciam, testantur in hac Apologiâ, quod Articulo maximi momenti ipsique Scripturæ Sacræ & Prophetis, v. gr. Act. X. 43. Es. LIII. 6. Rom. III. 24. IV. 16. quibus testimoniis ibi impletæ sunt paginæ, contradicant. Ideoque etiam ab Imperatore & Principibus meliora sperant, quàm ut audiant has suggillationes, quasi per hypothesin suam ipsorum Imperium aut statum Civilem evertant, cum potius versentur in foro divino, omniaque dirigant ad mutuum afflictorum consolationem.

§. II.

§. II. *Monachos* porrò ipsos (II) ajunt, fateri, quod *Conscientie Tranquillitatem*, aliâ ratione obtinere haud potuerint, quàm *per Promissionem Gratiae Divinae ac Fidem*. Vid. Art. IV. de Justificatione. Quod vel ipsa *Experientia* probaverit. Hinc animum denique sibi invicem addunt ad constantiam, & sophisticationes adversariorum reprehendunt, quod v. gr. in allegatione II. Petr. I. 10. commiserint fallaciam *Causæ non Causæ*. Item, quod *AVGVSTINVM* nobis opponant, ac si ante mille annos sententiam nostram oppugnaverit, utut iste nobiscum sentiat, cum damnat Pelagianos ob Operum Merita. Opera denique aut Legem à se haud aboleri, sed erigi ac stabiliri, asserunt, majoremque in modum extolli.

ART. XXI.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

§. I.

Pars Abusuum & Errorum Antichristi hic dicitur Articulus, in Art. Smalc. P. II. Art. 2. tit. 2. Unde simul ad Abusus & Errores referri potest, ut notavimus ad A. C. Art. XXI. §. I. & ad Præf. Abus. §. I. Adversarii verò id tantum damnaverant, quod nihil de *Invocatione Sanctorum* in eo admisissent Nostri. Ideoque hi, (I) frustraneos illorum esse in adducendo *CYPRIANO & HIERONYMO* contra Vigilantium conatus, ostendunt. Ille enim Ep. LVII. ad Cornelium Fratrem: *Si quis istinc nostram prior divine dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio.* Quod ultrò conceditur, juxtà Apoc. IV. 10. Luc. XVI. 27. Nec opus erat ad h. l. tot testimoniis à *PAMELIO* cum-

cumulatis. **HIERONYMO** verò sermo est de Sanctorum Honoribus. Neutri autem de eorum Invocatione. Cujus nulla ante tempora **GREGORII** facta est mentio, siquidem nec in Scripturis ullum invenit fundamentum. Non improbant Honorem ipsis exhibendum, dummodò consistat in Gratiarum Actione ad Deum, in Confirmatione Fidei propriæ, & Imitatione illorum, ut è *Collectis* Veterum apparet, Memoriam, non Invocationem Sanctorum commendantibus. Insuper concedunt orationes Angelorum pro nobis, è Zach. I. 12. & Sanctorum in cœlis, pro Ecclesiâ in genere. Quanquam posterius tantùm è somnio quodam in libro Apocrypho II. Macc. XV. 14. II. probari dicatur, neque inde sequatur Sanctorum Invocatio. Suppetit tamen locus quoque Apoc. VI. 16. Nisi hunc potius invocationem vindictæ divinæ vocaveris, quàm intercessionem. Aut Apocalypsin pro libro Apocrypho N. T. habeas. Unde in Articulis Smalcaldicis vocula: *fortasse*. Ut indicetur, quod de Intercessione Sanctorum multa adhuc disputari possint. Licet non planè ideò negetur. Vid. Art. Sm. P. II. Art. II. de Miss. sub fin. **CARPZOV.** Isag. ad h. l. qui notat è **CHEMNITIO**, tempore **ORIGENIS** circà annum Domini **CCXL.** ex opinione probabili factam fuisse hanc asseverationem.

§. II. Deinde autem (II) exprobratur Adversariis, quod Sanctos Mediatore nostros ac Redemptores constituent, dum ab iisdem se putant exaudiri, & cordium inspicere secreta, meritaque sibi præstari; quâ de causâ invocandi sint, etiamsi nulla promissio, & nulla quoque sponsio ipsorum Sanctorum, prout tamen ad officium Mediatorum requiratur. Malè sic Gabriel **BIEL** in Exposit. Canonis Missæ, Lect. XXX. nos confugere jubet ad illorum opem, *ut per hanc salvemur ex ordinatione Dei.*
For-

Formula etiam Absolutionis est: *Passio Christi, Meritaque Mariæ & omnium Sanctorum, tibi sint ad Remissionem Peccatorum.* Et quidam è Nostratibus se vidisse, ipsi fatentur, morientem Doctorem Theologiæ, cui illud acclamaverit Monachus: *Maria mater gratiæ, tu nos ab hoste protege, in horâ mortis suscipe.* At benè contrà hos HILARIUS ad Matth. XXV. de Fatuis Virginibus: *Alienis scilicet operibus ac meritis neminem adjuvandum: quia unicuique lampadi suæ emere oleum, necesse est.* Nedum ut Sancti possint superare mortem vel peccatum. Ad quid enim aliàs Christus prodesset? Deinde & periculosæ res plena est aleæ, in Sanctis spem ponere, ob dona singularia, vel gesta. In quibus sæpè præter solam nominis derivationem, vel similitudinem, opis est nihil, ut in S. Anna, à *pm Misertus est*, deductâ, remedium contrà Paupertatem, in S. Sebastiano, Germ. contrà Pestem, in S. Valentino, Germ. S. Valten, contrà Morbum Comitiale, Germ. die fallende Sucht/ in S. Georgio Equite, ad tuendum Equites, Germ. der Ritter St. Jürgen vor die Reuter/ contrà ictus & sclopeta, & quæ sunt ejusmodi; sæpè quoque Artes Magicæ vel Mechanicæ fallunt incautos, sæpè Mendacia in Legendis, cum mulata ad nauseam usque, Merita in Ecclesiam ac Rempubl. longè alia tribuunt Sanctis, quàm ab imperitis capiuntur, quale est præmium S. Barbaræ pro Martyrio, ne quis invocans ipsam, sine Sacramento moreretur, Sanctique Christophori, Christum portantis. Ubi facile simplices eò abducuntur, ut missis gravioribus, quærant levia ac falsa, v. gr. Strata, Indusia, Cibos, Rosaria, Prodigia, cum potius exempla Fidei ac Pietatis veræ sequi debuissent, & Petri Pœnitentiam, post Abnegationem Christi, Cypriani Martyris post Magiæ exercitium, & Augustini, vim fidei in morbo suo demùm experti, imitari. Ceterum

rùm de Honoribus & Invocatione Sanctorum nos plura in Disput. de Idolo laudabili, quâ Deorum Martyrumque Cultus, hujusque Vitia, inter se conferuntur, Helmstadii Anno 1707.

CONCLUSIO APOLOGIÆ PARTIS PRIORIS.

§. I.

Concluditur Articulus XXI. addito ad Partem Priorem eodem ferè modo, ut in Aug. Confessione, *Epilogo*, factoque ad Partem Alteram, de Abusibus, *Transitu*. Retutatur enim mala Fides Adversariorum, in Confutatione Aug. Confessionis adhibita, quâ gravissimos Errores & Abusus immanes, multis seculis ante Lutherum à multis viris cordatis in libris Scholasticorum & Canonistarum reprehensos, & Imperatori præcipuè scitu necessarios, ne quidem attigerint, quin veriores de Pœnitentiâ & Christo doctrinam omninò reticuerint, sine quâ tamen neque Ecclesia neque Respublica, consistere potest. Sique Confutatio simpliciter à se recipienda fuisset, tot nævos quoque in doctrinâ & moribus, publicè quanquam damnatos, à se recipi debuisset, queruntur. Rogant ergò Imperatorem qui pro officio suo vigilare velit, & repulso Papatu, Concordiam tandem solennem reducere.



EO.-Bj. 2002

01 A 6727

ULB Halle

3

003 104 745



WA

Rha





Martinum HOITBANDVM, antea ad Ecclesiam S. Pancra-
tii, Aug. Conf. ministrum, nunc exulem, Ann. 1567. Wir
seien aus Gottes Wort auch euren selbst predigen / Gott
lob / so viel unterwiesen / daß wir nicht allein vor Gott /
sondern auch vor der Welt uns schuldig erkennen / Gottes
Glori / und das heilige Evangelium zu befördern. Wir
erkennen / daß solches das fürnehmste / und das um des
willen diß Politisch Wesen / und unser Stadt Regierung
vornehmlich von Gott gesegnet worden. Darumb solt
ihrs gentslich dafür halten / daß wir bey der erkandten War-
heit fest bestehen / und bis in unsere Gruben dabey / wie
frommen Christen gebürt / zu halten / und uns in dem zube-
zengen gemeint / daß wirs vor Gott / dem Lands Fürsten / und
jedermenniglich zu verantworten gedenken. Ihr wissen
aber selbst / warhin unser Stadt Regierung und Vermögen
lenket / und daß es disfalls an unsern guten Willen nit / son-
dern an Vermögen / und vornehmlich an den mangeln will /
daß wir dem hochwürdigsten Fürsten und Herrn / Herrn
Remberten / Bischöffen zu Baderborn / unsern gnedigen Für-
sten und Herrn unterworffen / und daß S. F. G. als der Lan-
des Fürste / die Religion will zu verwalten haben. Sed plura
de his addere, locus non est. Quae videri possunt in Apologia
hujus HOITBANDI, postmodum ministri Soestani ad eadem S.
Walpurgis, contra M. Hermannum Marburg. 1580. Tu verò gaude,
sique ita persuasus es, fieri non p-
tibus ex adversis omnibus emerg
specimen gratulor, & gratulor
quod propediem prestabis. Vale.
April. MDCCXXXVII.

ad 32

20
DISPUTATIO THEOLOGICA

AD

APOLOGIAM
AVGVSTANAE
CONFESSIONIS

AB

ART. VII. VSQVE AD XXI.

PRÆSIDE

JONA CONR. SCHRAMMIO

S. TH. D. ET PROF. ORD.

